

partes caducæ fisco peterentur] : sed etsi ex asse fiat, senatusconsultum locum habebit. Idem, et si vacantia bona fisco vindicentur, vel si alia quacumque causa bona ad eum pervenerunt. — § 8. Senatusconsultum hoc locum habebit, et si civitati peteretur. — § 9. In privatorum quoque petitionibus senatusconsultum locum habere nemo est qui ambigit : licet in publica causa factum sit. — § 10. Non solum autem in hereditate utitur senatusconsulto, sed et in peculo castrensi, vel alia universitate. — § 11. *Petiam autem hereditatem*, etc. [id est, ex] quo quis scit a se peti : nam ubi scit, incipit esse malæ fidei possessor<sup>87</sup>, id est, cum primum aut denunciatum esset. Quid ergo, si scit quidem, nemo autem ei denunciavit? an incipiat usuras debere pecuniæ redactæ? Et [puto], debere: cepit enim malæ fidei possessor esse. [Sed] ponamus denunciatum esse, non tamen scit : quia non ipsi, sed procuratori ejus denunciatum est : senatus ipsi denunciari exigit : et ideo non nocet : nisi forte is, cui denunciatum est, eum certioraverit : sed non si certiorare potuit, nec fecit. A quo denunciatum est, senatus non exigit : quicumque ergo fuit, qui denunciavit, nocet. — § 12. Hæc adversus bonæ fidei possessores : nam ita senatus locutus est, eos, qui se heredes existimassent. Cæterum si quis sciens, ad se hereditatem non pertinere, distraxit, sine dubio non pretia rerum, sed ipsæ res veniunt in petitionem hereditatis, et fructus earum. Sed imperator Severus epistola ad Celerem idem videtur fecisse et in malæ fidei possessoribus. Atquin senatus de his locutus, qui se heredes existimant : nisi forte ad eas res referemus, quas distrahi expedierat<sup>90</sup>, quæ onerabant magis hereditatem, quam fructui erant : ut sit in arbitrio<sup>91</sup> petitoris, qualem computationem faciat adversus malæ fidei possessorem, utrum ipsius rei, et fructuum, an pretii, et usurarum, post motam controversiam. — § 13. Licet autem senatus de his locutus sit, qui se heredes existimant, tamen et si bonorum possessores se existimant, [vel alios successores justos], vel sibi restitutam hereditatem, in eadem erunt conditione. — § 14. Papinianus autem lib. 3. *Questionum* : si possessor hereditatis pecuniam inventam in hereditate non attingat<sup>92</sup>, negat eum omnino in usuras conveniendum. — § 15. *Redactæ*, inquit, *pecuniæ ex pretio rerum venditarum*. Redactam sic accipimus, non solum jam exactam, verum et si exigi potuit, nec exacta est. — § 16. Quid, si post petitam hereditatem res distraxerit? hic ipsæ res veniunt, fructusque earum. Sed si forte tales fuerunt, quæ vel steriles erant, vel tempore peritura, et hæc distractæ sunt [vero pretio], fortassis possit petitor eligere, ut sibi petita et usura præstentur. — § 17. Ait senatus : *Placere, a quibus petita hereditas fuisset, si adversus eos judicatum esset, pretia, quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum pervenissent, et si ante petitam hereditatem deperissent, deminutæ essent, restituere debere*. Bonæ fidei possessor, si vendiderit res hereditarias, sive exegit pretium, sive non, quia habet actionem, debet pretium præstare. Sed, ubi habet actionem, sufficit eum actiones præstare<sup>93</sup>. — § 18. Sed si vendidit, et evicta res restituit, quod accepit, non videbitur ad eum pervenisse : quantum possit dici, nec ab initio pretium venire : quia non fuit res hereditaria, quæ distracta est. Sed etsi senatus rerum ex hereditate distractarum non hereditarium fecit mentionem, restitui tamen non debet : quia nihil apud eum remanet. Nam [et] Julianus lib. 6. *Digestorum* scribit, quod indebitum exegit, restituere eum non<sup>94</sup> debere : nec imputaturum, quod non debitum solvit<sup>95</sup>. — § 19. Sed si res sit redhibita, hic utique [et] hereditaria est, et pretium non veniet, quod refusum est. — § 20. Sed et si ob venditionem obstructus sit emptori possessor hereditatis, dicendum erit, prospici ei cautione<sup>96</sup>. — § 21. Restituere autem pretia debet possessor, etsi deperditæ<sup>97</sup> sunt res, vel deminutæ. Sed utrum ita demum restituat, si bonæ fidei possessor est, an et si malæ fidei? Et, si quidem res apud emptorem exsistent, nec deperditæ, nec deminutæ sunt, sine dubio ipsas res debet præstare malæ fidei possessor : aut si recipere eas ab emptore nullo modo possit, tantum, quantum in litem esset juratum<sup>98</sup> : at ubi perditæ sunt, et deminutæ, verum pretium debet præstari : quia, si petitor rem consecutus esset, distraxisset, et verum pretium rei non perderet.

21. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale. *Deperditum* intelligitur, quod in rerum natura esse desit : deminutum vero, quod usucaptum esset, et ob id de hereditate exiit.

22. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. Si et rem, et pretium habeat bonæ fidei possessor, puta quod eandem

87. *Immo vide* L. 16, infr. de verb. sign. — 88. L. 1, in pr. C. h. t. — 89. L. 25, § 7, infr. eod. — 90. § 2, infr. hic. — 91. L. 36, § 5, in fin. infr. h. t. — 92. L. 62, in pr. infr. de rei vind. — 93. L. 51, in fin. infr. de peculio. — 94. *Immo vide* L. 25, supr. de negot. gest. — 95. L. 2, § 7, infr. de hered. vel act. vend. — 96. L. 46, § 3, infr. h. t. — 97. § 6, vers. item placere, supr. hic. L. 210, infr. h. t. — 98. L. 25, § 10, infr. eod. — 99. Fac. L. 20, § 2, supr. eod. — 100. *Adde* L. 18, supr. quod met. caus. — 1. L. 2, § 3, infr. de hered. vel act. vend. —

rem emerit, an audiendus sit, si velit rem dare, non pretium? In prædone dicimus, electionem<sup>99</sup> esse debere actoris : an hic magis possessor audiendus sit, si velit rem tradere, licet deteriore factam, non petitor, si pretium desideret, quod inverecundum sit tale desiderium : an vero, quia ex re hereditaria locupletior sit, et id, quod amplius habet ex pretio, restituere debeat, videndum : nam [et] in oratione *divi Hadriani* ita est : *Dispicite, patres conscripti, nunquid sit æquius, possessorem non facere lucrum, et pretium, quod ex aliena re perceperit, reddere, quia potest existimari, in locum hereditariæ rei venditæ, pretium ejus successisse, et quodammodo ipsum hereditarium factum*<sup>100</sup>. Oportet igitur possessorem et rem restituere petitori, et quod ex venditione ejus rei lucratus est.

23. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Utrum autem omne pretium restituere debeat bonæ fidei possessor, an vero ita demum, si factus sit locupletior, videndum : finge pretium acceptum vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse : et verbum quidem *pervenisse*<sup>1</sup> ambiguum est : solumne hoc contineret, quod prima ratione fuerit, an vero et id, quod durat? Et puto, sequentem clausulam senatusconsulti, etsi hæc sit ambigua, ut ita demum computet, si factus sit locupletior<sup>2</sup>. — § 1. Proinde, si non solum pretium, sed etiam pena tardius pretio soluto pervenerit, poterit dici, quia locupletior in totum factus est, debere venire : licet de pretio solummodo senatus sit locutus.

24. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. At ubi vi dejectus fuit, non debet restituere penam ex eo commissam, quod eam actor habere non potest. Sic nec pena restitui debet, quam adversarius ei promisit, si ad iudicium non venerit.

25. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Sed et si lege commissoria vendidit, idem erit dicendum, lucrum, quod sensit lege commissoria, præstaturum. — § 1. Item, si rem distraxit, et ex pretio aliam rem comparavit, veniet pretium<sup>3</sup> in petitionem hereditatis, non res, quam in patrimonium suum convertit. Sed si res minoris valet, quam comparata est, haecenus locupletior factus videbitur, quatenus res valet : quemadmodum, si consumpsisset, in totum locupletior factus non videbitur. — § 2. Quod ait senatus : *Eos, qui bona invasisent, quæ scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnandos, quasi possiderent* : ita intelligendum est, ut et dolus præteritus in petitionem hereditatis deduceretur : sed et culpa<sup>4</sup> : et ideo ab eo, qui ab alio non exegit, vel a semetipso, si tempore esset liberatus, peti hereditatem posse : hoc utique si exigere potuit. — § 3. Quod autem ait senatus, *eos, qui bona invasisent*, loquitur de prædonibus<sup>5</sup> : id est, de his, qui cum scirent ad se non pertinere hereditatem, invaserunt bona, scilicet cum nullam causam haberent possidendi. — § 4. Sed et *fructus*, non quos perceperunt, inquit, sed *quos percipere debuerunt*<sup>6</sup>, eos præstaturus. — § 5. De eo autem loquitur senatus, qui ab initio mente prædonis res hereditarias adprehendit. Quod si ab initio quidem justam causam habuit adipiscendæ possessionis, postea vero conscius ad se nihil hereditatem pertinere, prædonio more versari cepit, nihil senatus loqui videtur. Puto tamen, et ad eum mentem senatusconsulti pertinere : parvi etenim refert, ab initio quis dolose in hereditate sit versatus, an postea hoc facere cepit. — § 6. *Scire ad se non pertinere* utrum is tantummodo videtur, qui factum scit, an et is, qui in jure erravit : putavit enim recte factum testamentum, cum inutile erat : vel, cum [eum] alius præcederet adgnatus, sibi potius deferri? Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erret. — § 7. *Si ante litem contestatam, inquit, fecerint*. Hoc ideo adjectum, quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse<sup>7</sup> : quinimo, post controversiam motam. Quamquam enim litem contestatam mentio fiat in senatusconsulto, tamen et post motam controversiam omnes possessores pares fiunt, et quasi prædones tenentur. Et hoc jure hodie utitur : cepit enim scire rem ad se non pertinentem possidere se is, qui interpellatur : qui vero prædo est, et ante litem contestatam doli nomine tenebitur : hic est enim dolus præteritus<sup>8</sup>. — § 8. *Perinde, inquit, condemnandos, quasi possiderent*. Merito : nam is, qui dolo fecit, quo minus possideret, ut possessor condemnatur<sup>9</sup> : accipiens, sive dolo desierit possidere, sive dolo possessionem noluerit admittere. Sive autem ab alio res possidatur, sive in totum non exstet, locum habebit hæc clausula. Unde si sit alius possessor, ab utroque hereditas peti possit : et si per multos ambulaverit<sup>10</sup>

2. L. 25, § 11, infr. h. t. — 3. § 18, infr. hic. L. 16, § 1 et 5, supr. h. t. — 4. L. 19, § 2, supr. eod. — 5. L. 11, in fin. : L. 19, § pen. supr. eod. — 6. L. 1, in fin. C. eod. — 7. L. 2, C. de fruct. lib. et lit. expens. L. 20, § 21, supr. h. t. — 8. § 2, supr. hic. L. 15, § 2 et 1. L. 20, § 5, supr. h. t. : L. 27, § 3, infr. de rei vind. — 9. § 9, infr. hic. L. 15, § 2, supr. h. t. : L. 2, § 42, infr. ne quid in loco publ. : L. 151, infr. de reg. jur. — 10. L. 15, supr. de minoribus.

possessio, omnes tenebuntur. — § 9. [Sed] utrum is solus, qui possidet, fructus præstabit : an etiam is, qui dolo fecit, quo minus possideret? Et dicendum erit, post senatusconsultum, ambo teneri<sup>11</sup>. — § 10. Hæc verba senatusconsulti etiam adversus eum, qui non possidet, iurandum<sup>12</sup> inducunt : tam enim adversus eum, qui dolo fecit, quo minus possideat, aut adversus possidentem, in litem juratur. — § 11. Consuluit senatus bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno adficiantur, sed in id duntaxat teneantur, in quo<sup>13</sup> locupletiores facti sunt<sup>14</sup>. Quemcumque igitur sumptum fecerint ex hereditate, si quid dilapidaverunt, perdidērunt, dum re sua se abuti putant, non prestabunt<sup>15</sup> : nec si donaverint, locupletiores facti videbuntur : quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverunt. Plane si *ἀντίδορα*, id est, *remuneraciones*, acceperunt, dicendum est, eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt : velut genus quoddam hoc esset permutationis. — § 12. Si quis re sua lautius usus sit contemplatione delatæ sibi hereditatis, Marcellus lib. 5. *Digestorum* putat, nihil eum ex hereditate deducturum, si eam non attingit. — § 13. Simili modo et si mutuum pecuniam accepit, quasi dives se deceperit. — § 14. Si tamen pignori res hereditarias dedit, videndum, an vel sic attingatur hereditas? Quod est difficile, cum ipse sit obligatus. — § 15. Adæ autem qui locupletior factus non est, non<sup>16</sup> tenetur, ut si quis putans se ex asse heredem, partem dimidiam hereditatis sine dolo malo consumpsit, Marcellus lib. 4. *Digestorum* tractat, num [non] teneatur : quasi id, quod erogaverit, ex eo fuerit, quod ad eum non pertinebat, sed ad coheredes : nam et si is, qui heres non erat, totum quicquid apud se fuit, consumpsisset : sine dubio non tenetur, quasi locupletior non factus. Sed in proposita questione, tribus visionibus<sup>17</sup> relatis, una prima, deinde alia, posse dici totum, quod superest, restituere eum debere, quasi suam partem consumpsit ; tertia utriusque, quod consumptum est, decedere : ait utique nonnihil restituendum : de illo dubitat, utrum totum, an partem restituendum dicat. Puto tamen residuum integrum non esse restituendum, sed partem ejus dimidiam. — § 16. Quod autem quis ex hereditate erogavit, utrum totum decedat, an vero pro rata patrimonii ejus ; utputa penum<sup>18</sup> hereditarium ebit, utrum totum hereditati expensum feratur, an aliquid et patrimonio ejus? ut in id factus locupletior videatur, quod sequebat ipse erogare ante delatam hereditatem : ut si quid lautius<sup>19</sup> contemplatione hereditatis impendit, in hoc non videatur factus locupletior : in status vero suis sumptibus videatur factus locupletior : utique enim et si non tam laute erogasset, aliquid<sup>20</sup> tamen ad victum quotidianum erogasset. Nam et D. Marcus in causa Pythodori, qui rogatus erat<sup>21</sup>, *quod sibi superfuisset ex hereditate reddere*, decrevit, ea, quæ alienata erant, non minuendi fideicommissi, nec pretium in corpus patrimonii Pythodori reddisse : [et] ex proprio Pythodori patrimonio, et ex hereditate decedere, non tantum ex hereditate. Et nunc igitur statuti sumptus utrum ex hereditate decedant exemplo rescripti D. Marci, an ex solo patrimonio, videndum erit : et verius est, ut ex suo patrimonio decedant ea, quæ etsi non heres fuisset, erogasset. — § 17. Item si rem distraxit bonæ fidei possessor, nec pretio factus sit locupletior, an singularis res, si nondum usucaptæ sint, vindicare petitor ab emptore possit? et si vindicet, an exceptione non repellatur, *Quod præjudicium hereditati non fiat inter actorem, et eum, qui venundavit* : quia non videtur venire in petitionem hereditatis pretium earum : quamquam victi emptores reversuri sunt ad eum, qui distraxit? Et puto, posse res vindicari, nisi emptores regressum ad bonæ fidei possessorem habent. Quid tamen si is, qui vendidit, paratus sit ita defendere hereditatem, ut perinde, atque si possideret, conveniatur? Incipit exceptio locum habere ex persona emptorum. [Certe,] si minori pretio res venierint, et pretium quodcumque illud actor sit consecutus, multo magis poterit dici, exceptione eum summo. Nam et si id, quod a debitoribus exegit possessor, petitori hereditatis solvit, liberari debitoribus<sup>22</sup> Julianus lib. 4. *Digestorum* scribit, sive bonæ fidei possessor, sive prædo fuit, qui debitum ab his exegerat : [et] ipso jure eos liberari. — § 18. Petitio hereditatis, etsi in rem actio sit, habet tamen præstationes quasdam personales, utputa eorum, quæ a debitoribus sunt exactæ<sup>23</sup> : item pretiorum<sup>24</sup>. — § 19. Hoc senatusconsultum ad<sup>25</sup> petitionem hereditatis factum, etiam in familiæ heriscundæ [iudicio] locum habere placet : ne res absurda sit, ut quæ peti possint, dividi non possint. — § 20. Augent hereditatem, gregum et pecorum partus.

11. § 8, supr. hic. — 12. L. 20, § ult. supr. h. t. — 13. § 25, infr. hic. L. 20, § 6, vers. item eos; L. 25, supr. h. t. : L. 40, § 1, infr. h. t. : L. 3, infr. de condic. indeb. — 14. L. 56, § 4, infr. h. t. — 15. *Adde* L. 51, § 3, infr. eod. — 16. § 11, supr. hic. — 17. § 14, in fin. de confir. Digestor. : L. 8, § 2, in fin. infr. ad SC. Vellei. : L. 29, § 3, infr. mandati; L. 25, § 3, infr. de probat. : L. 8, § 3, infr. de pen. legat. — 18. § 12, supr. hic. — 20. Arg. L. ult. in fin. C. de aliment. pupillo præst. — 21. L. 54, infr. ad SC. Trebell. N. 108, c. 1 et 2. — 22. L. 51, in fin. infr. h. t. *Adde* L. 61, infr. de solutione. — 23. *Adde* d. L. 51, § ult. — 24. § 1, supr. hic. — 25. L. 1, in pr. C. h. t. — 26. L. 2, § 3, in fin. supr. eod. : L. 12, in pr. supr. quod met. caus. — 27. § 27, Inst. de rer. divi. : L. 65, in pr. infr. de usufr. : L. 28, § 1, infr. de usur.

26. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. Quod si oves natæ sunt, deinde ex his aliæ, hæc quoque, quasi augmentum restitui debent.

27. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Ancillarum etiam partus<sup>26</sup>, et partuum partus, quamquam fructus esse non existimantur<sup>27</sup>, quia non temere ancillæ ejus rei causa comparantur, ut pariant, augent tamen hereditatem : quippe cum ea omnia fiunt hereditaria, dubium non est, quin ea possessor, si aut possideat, aut post petitam hereditatem dolo malo fecit, quo minus possideret, debeat restituere. — § 1. Sed et pensiones<sup>28</sup>, quæ ex locationibus prædiorum urbanorum perceptæ sunt, venient, licet<sup>29</sup> a lupanario perceptæ sint : nam [et] in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.

28. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. Post senatusconsultum enim, omne lucrum<sup>30</sup> auferendum esse tam bonæ fidei possessori, quam prædoni, dicendum est.

29. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Mercedes plane a colonis acceptæ loco sunt fructuum<sup>31</sup>. Operæ quoque servorum in eadem erunt causa, qua sunt pensiones. Item vecturæ navium, et jumentorum.

30. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. Julianus scribit, actorem eligere debere, utrum sortem tantum, an et usuras velit cum periculo nominum agnoscere. Atquin secundum hoc non observabimus, quod senatus voluit<sup>32</sup>, bonæ fidei possessorem teneri, quatenus locupletior sit : quid enim, si pecuniam eligat actor, quæ servari non potest? Dicendum itaque est in bonæ fidei possessore, hæc tantummodo eum præstare debere : id est, vel sortem, et usuras ejus, si [et] eas percepit, vel nomina cum eorum cessione in id facienda, quod ex his adhuc deberetur : periculo scilicet petitoris.

31. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Si quid possessor solvit creditoribus, reputabit<sup>33</sup>, quamquam ipso jure non liberaverit petitorum hereditatis : nam quod quis suo nomine solvit, non debitoris, debitorem non liberat<sup>34</sup>. Et ideo Julianus lib. 6. *Digestorum* scribit, ita id imputaturum possessorem, si caverit, *se petitorum defensionem iri*. Sed an et bonæ fidei possessor debeat defendendum cavere, videndum erit : quia in eo, quod solvit, non videtur locupletior factus, nisi forte habeat conditionem : et hoc nomine videtur locupletior, quia potest repetere : finge enim eum, dum se heredem putat, solvisse suo nomine? Et videtur mihi Julianus de solo prædone, ut caveat, sensisse : non etiam de bonæ fidei possessore : conditionem tamen præstare debet. Sed et petitor si a creditoribus conveniatur, exceptione uti debet. — § 1. Sed si ipsi aliquid prædoni debebatur, hoc deducere non debet : maxime si id fuit debitum, quod natura debebatur. Quid tamen, si expediabat petitori, id debitum esse dissolutum propter penam, vel aliam causam? Potest dici, ipsum sibi vel solvisse, vel debusse solve. — § 2. Justus autem possessor dubio procul debet deducere, quod sibi debetur. — § 3. Sicut autem sumptum, quem fecit, deducit, ita si facere debuit, nec fecit, culpæ hujus reddat rationem<sup>35</sup>, nisi bonæ fidei possessor est : tunc enim, quia quasi suam rem neglexit<sup>36</sup>, nulli querelæ subjectus est ante petitam hereditatem : postea vero, et ipse<sup>37</sup> prædo est. — § 4. Illud plane prædoni imputari non potest, cur passus est debitoribus liberari, et pauperiores fieri, et non eos convenit : cum actionem non habuerit<sup>38</sup>. — § 5. Quod autem possessor solutum est<sup>39</sup>, an restituere debeat, videamus? Et, si bonæ fidei possessor fuit, sive non, debere restituere placet : et quidem, si restituerit (ut Cassius scribit, et Julianus lib. 6.) liberari ipso jure debitoribus<sup>40</sup>.

32. PAULUS, lib. 20, ad Edictum. Per servum adquisitæ<sup>41</sup> res heredi restituendæ sunt : quod procedit in hereditate [libertati], et cum de inofficioso agitur, cum interim in bonis esset heredis :

33. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum. Nisi ex re heredis scripti stipulatus sit. — § 1. Julianus scribit, si hominem possessor distraxerit, si quidem non necessarium hereditati, pe-

— 28. *Adde* L. 29, infr. h. t. — 29. L. 51, L. 56, infr. eod. — 30. L. 55, infr. eod. — 31. *Adde* L. 27, § 1, supr. eod. : L. 62, in pr. infr. de rei vind. L. 55, infr. de condic. indeb. — 32. L. 25, § 11, supr. h. t. — 33. L. 5, C. eod. — 34. L. 19, § 1, infr. de condic. indeb. : L. 28, infr. mandati; L. 38, § 2, vers. et magis, infr. de solut. — 35. L. 54, § ult. infr. h. t. — 36. L. 25, § 11, supr. eod. — 37. d. L. 25, § 7. — 38. L. 9, § 3, infr. de admin. et peric. tut. : L. 6, § ult. vers. certe si, supr. de negot. gest. : L. 20, vers. de ceteris, C. eod. — 39. *Adde* L. 25, § 18, supr. h. t. — 40. d. L. 25, § 17, in fin. : L. 15, § 16, in fin. infr. mandati; L. 25, L. 34, § 9, L. 61, infr. de solutione. — 41. L. 24, infr. de edil. edict.

titio hereditatis pretium praestaturum: imputaretur enim [ei.] si non distraxisset: quod si necessarium hereditati, si quidem vivit, ipsum praestandum: si decesserit, fortassis nec pretium: sed non passurum iudicem, qui cognoscit, possessorem pretium lucrari scribit, et verius est.

54. PAULUS, lib. 20, ad Edictum.

Filiifamilias militis<sup>42</sup> puto peti posse hereditatem ex testamento nobis obvenientem.— § 1. Si servus vel filius familias res hereditarias teneat, a patre, domineve peti hereditas potest, si facultatem restituendarum rerum habet. Certe si pretium rerum hereditarium venditarum in peculo servi habeat, [et] Julianus existimat posse a domino, quasi a iuris possessore, hereditatem peti.

55. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Idem Julianus ait, etiamsi nondum pretia rerum consecutus sit servus, posse a domino, quasi a iuris possessore<sup>43</sup>, hereditatem peti: quia habet actionem, qua eam pecuniam consequatur: quae quidem actio etiam ignorantia acquireretur.

56. PAULUS, lib. 20, ad Edictum.

Si a domino, vel a patre, qui pretia possidet, hereditas petatur, an filio vel servo mortuo, vel servo manumisso, vel emancipato filio, intra annum agi debeat? et an debitum sibi dominus, vel pater deducere potest? Julianus verius esse ait, id [quod] Proculus quoque respondit, perpetuo<sup>44</sup> actionem dandam: nec deduci oportere id, quod ipsi debetur: quia non de peculo agatur, sed hereditas petatur. Haec recte, si pretia<sup>45</sup> habeat servus, vel filiusfamilias: quod si propterea hereditas petatur a domino, quod servus debitor fuit, perinde haberi debet, atque si de peculo ageretur. Idem dicendum Mauricianus ait, etiamsi pecuniam ex pretio perceptam servus, vel filius consumperit: sed alias ex peculo ejus solvi potest.— § 1. Sed et a filiofamilias peti hereditatem posse, non est dubium: quia restituendi facultatem habet, sicut<sup>46</sup> ad exhibendum. Multo magis dicimus, posse peti hereditatem a filiofamilias, qui, cum paterfamilias esset, et possideret hereditatem, adrogandum se praestavit.— § 2. Si possessor hereditarium servum occiderit<sup>47</sup>, id quoque in hereditatis petitione veniat. Sed Pomponius ait, actorem debere eligere, utrum velit sibi eum condemnari, ut caveat se non acturum lege Aquilia<sup>48</sup>, an malit integram sibi esse actionem legis Aquiliae, omnia ejus rei aestimatione a iudice: quae electio locum habet, si ante aditam hereditatem occisus sit servus: nam si postea, ipsius actio propria effecta est, nec veniat in hereditatis petitionem.— § 3. Si praedo dolo desisset possidere, res autem eo modo interierit, quo esset interitura<sup>49</sup>, etsi eadem causa possessionis mansisset, quantum ad verba senatusconsulti, melior est causa praedonis, quam bonae fidei possessoris: quia praedo, si dolo desierit possidere, ita condemnatur, atque si possideret<sup>50</sup>, nec adjectum esset, si res interierit: sed non est dubium, quin non debeat melioris esse conditionis, quam bonae fidei possessor. Itaque et si plures venierit res, electio<sup>51</sup> debet esse actoris, ut pretium consequatur: alioquin lucretur aliquid praedo.— § 4. Quo tempore locupletior esse debeat bonae fidei possessor, dubitatur? Sed magis est, rei iudicate tempus spectandum esse<sup>52</sup>.— § 5. Fructus intelligitur deductis impensis<sup>53</sup>, quae quaerendorum, cogendorum, conservandorum [que] eorum gratia fiunt. Quod non solum in bonae fidei possessoribus naturalis ratio expostulat, verum etiam in praedonibus<sup>54</sup>, sicut Sabino quoque placuit.

57. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum.

Quod si sumptum quidem fecit, nihil autem fructuum perceperit, aequissimum erit, rationem horum quoque in bonae fidei possessoribus haberi.

58. PAULUS, lib. 20, ad Edictum.

Plane in caeteris necessariis, et utilibus impensis posse separari: ut bonae fidei quidem possessores has quoque imputent: praedo autem de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit<sup>55</sup>. Sed benignius<sup>56</sup> est, in huius quoque persona haberi rationem impensarum<sup>57</sup>: non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere<sup>58</sup>: et id ipsum officio<sup>59</sup> iudicis continebitur: [nam] nec exceptio doli mali desideratur. Plane, potest in eo differentia esse, ut bonae fidei quidem possessor omnimodo impensas deducat, licet res non exstet, in quam fecit; sicut tutor, vel curator consequuntur: praedo autem non aliter, quam si res melior<sup>60</sup> sit.

42. L. 5, § 5, infr. de honor. posses. Inst. quib. non est permisso facere testamentum, in pr.—43. L. 15, in fin. supr. h. t.—44. L. 35, in pr. infr. de peculio L. 15, circa medium infr. de in rem verso.—45. L. 24, § 3, supr. de minor.—46. L. 18, § 4, de castrens. pecul.—47. L. 25, § 1, infr. de verb. obligat.—48. L. 13, § 2, pen.; L. 14, § 15, in pr. infr. ad leg. Aquil.—49. L. 40, in pr. infr. h. t.; L. 1, § 34, infr. de vi et vi armat.—50. L. 25, § 3, supr. h. t.—51. L. 20, § 12, in fin. supr. cod.—52. L. 16, in pr. supr. cod.; L. 30, in pr. infr. de pecul.—53. L. 16, infr. de usur.; L. 4, l. ult. in fin. infr. de operis serv.; L. 1, C. de fructib. et lit. expens.—54. L. 35, infr. h. t.—55. L. 7, § 12, infr. de acquir. rer. domin.

59. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Utiles<sup>61</sup> autem, necessariaeque sunt, veluti quae fiunt reficiendorum<sup>62</sup> aedificiorum gratia, aut in noveleta<sup>63</sup>, aut cum servorum gratia litis aestimatio solvitur, cum id utilius sit, quam ipsos dedi. Denique alias complures ejusdem generis esse impensas, manifestum est.— § 1. Videamus tamen, ne [et] ad picturarum quoque et marmorum, et caeterarum voluptuariorum rerum impensas aequae proficiat nobis doli exceptio, si modo bonae fidei possessores simus: nam praedoni probe dicitur, non deuisse in alienam rem supervacuas impensas facere; ut tamen potestas ei fieret tollendorum eorum, quae sine detrimento ipsius rei tolli possunt<sup>64</sup>.

40. PAULUS, lib. 20, ad Edictum.

Illud [quoque], quod in oratione divi Hadriani est: *Ut post<sup>65</sup> acceptum iudicium id actori praestetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo peti, restituta esset hereditas*, interdum durum est: quid enim, si post litem contestatam mancipia, aut iumenta, aut pecora deperierint? damnum debet secundum verba orationis, quia potuit petitor, restituta hereditate, distraxisse ea. Et hoc justum esse in specialibus petitionibus Proculo placet: Cassius, contra sensit: in praedonis persona Proculus recte existimat: in bonae fidei possessoribus Cassius. Hec enim debet possessor aut mortalitatem praestare, aut propter metum huius periculi temere indefensum jus suum relinquere.— § 1. Praedo fructus suos non facit, sed augent hereditatem: ideoque eorum quoque fructus praestabit<sup>66</sup>. In bonae fidei autem possessore hi tantum veniunt in restitutione, quasi augmenta hereditatis, per quos locupletior factus est.— § 2. Actiones, si quas possessor nactus est, evicta hereditate restituere debet: veluti [si] interdum unde vi<sup>67</sup>, aut quod precario [concessit].— § 3. Contra quoque, si possessor caverit damni infecti, cavendum est possessori<sup>68</sup>.— § 4. Ad officium iudicis pertinebunt et noxae actiones, ut, si paratus sit possessor noxae dedere servum, qui damnum dederit in [re] hereditaria, vel furtum fecerit<sup>69</sup>, absolvatur: sicut fit in interdicto quod vi, aut clam<sup>70</sup>.

41. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Si, quo tempore conveniebatur possessor hereditatis, pauciores res possidebat, deinde aliarum quoque rerum possessionem adsumpsit, eas<sup>71</sup> quoque victus restituere debet: sive ante acceptum iudicium, sive postea adquisierit possessionem. Et, si fideiussores, quos dederat, ad litem non sufficiant, jubere eum debet proconsul, ut idonee caveat. Ex diverso quoque si pauciores postea possidebat, quam initio possidebat, si modo id sine dolo ejus acciderit, absolvi debet, quod ad eas res, quas desit possidere.— § 1. Fructus computandos etiam earum rerum, quas defunctus pignori accepit, Julianus ait.

42. ULPIANUS, lib. 67, ad Edictum.

Si debitor hereditarius non ideo noluit solvere, quod se dicat heredem, sed ideo, quod neget, aut dubitet, an hereditas pertineat ad eum, qui peti hereditatem, non tenetur hereditatis petitione.

43. PAULUS, lib. 2, ad Plautium.

Postquam legatum a te accipi, hereditatem peto: Atilicianus quibusdam placuisse ait, non aliter mihi adversus te dandam petitionem, quam si legatum redderem. Videamus tamen, ne non aliter petitor hereditatis legatum restituere debeat, quam [ut ei] cavetur, si contra eum de hereditate iudicatum fuerit, reddi ei legatum: cum sit iniquum, eo casu possessorem hereditatis legatum, quod solverit, retinere: et maxime si non per calumniam, sed per errorem hereditatem petierit adversarius: idque et Laelius probat. Imperator autem Antoninus rescipit, ei, qui legatum ex testamento abstulisset, causa cognita hereditatis petitionem negandam esse: scilicet, si manifesta calumnia<sup>72</sup> sit.

44. JAVOLENUS, lib. 1, ex Plautio.

Cum is, qui legatum ex testamento percepit, hereditatem peti, si legatum quocumque modo redditum non sit, iudicis officio continetur, ut victori, deducto eo, quod accepit, restituatur hereditas.

45. CELSUS, lib. 4 Digestorum.

Qui se liti obtulit, cum rem non possideret, condemnatur<sup>73</sup>: nisi [si] evidentissimis probationibus possit ostendere, actorem ab initio litis scire eum non possidere: quippe isto modo non est deceptus: et qui se here-

§ 30, Inst. de rer. divis.—56. Adde L. 36, in fin. supr. h. t.—57. L. 5, C. de rei vind. excep. L. 14, infr. de donat.; L. 2, C. de rei vind.—58. L. 206, infr. de reg. jur.—59. L. ult. in fin. infr. h. t.—60. L. 6, § 3, supr. de negot. gest.—61. L. 79, infr. de verb. sign.—62. L. 14, in pr. infr. de impens. in res dotal. fact.—63. L. 6, infr. d. t.—64. L. 5, in fin. C. de rei vind.—65. L. 20, infr. d. t.—66. L. 26, L. 27, in pr. supr. h. t.—67. L. 16, § 4, supr. cod.—68. L. 20, § 20, supr. cod.; L. 19, infr. de rei vind.—69. L. 68, infr. de furt.—70. L. 7, § 2, i. quod vi aut clam.—71. L. 4, supr. h. t.—72. L. 3, § 1, infr. ut in possess. legat.—73. L. 25, infr. de rei vind.

ditatis petitioni obtulit, ei doli<sup>74</sup> clausula tenetur: aestimari [scilicet] oportebit, quanti ejus interfuit non decipi.

46. MODESTINUS, lib. 6 Differentiarum.

Praedonis loco intelligendus est is, qui tacitam<sup>75</sup> fidem interposuerit, ut non capienti restitueret hereditatem.

47. Idem, lib. 8 Responsorum.

Lucius Titius, cum in falsi testamenti propinqui accusatione non obtinuerit, quaero, an de non jure facto, nec signato testamento querela illi competere possit? Respondit, non ideo repelli ab intentione non jure facti testamenti, quod in falsi accusatione non obtinuerit<sup>76</sup>.

48. JAVOLENUS, lib. 3, ex Cassio.

In aestimationibus hereditatis ita venit pretium venditae hereditatis, ut id quoque accedat, quod plus fuit in hereditate, si ea negotiationis causa veniit: sin autem ex fideicommissi causa, nihil amplius, quam quod bona fide accipit.

49. PAPINIUS, lib. 3 Quaestionum.

Si bonae fidei possessor [hereditatis] velit cum debitoribus hereditariis, aut qui res hereditarias occupaverint, consistere, audietur: utique, si periculum erit, ne inter moras actiones interdicant. Petitor autem hereditatis, citra metum exceptionis, in rem agere poterit: quid enim si possessor hereditatis negligat: quid, si nihil juris habere se sciat?

50. Idem, lib. 6 Quaestionum.

Hereditas, etiam sine ullo corpore, juris intellectum habet<sup>77</sup>.— § 1. Si defuncto monumentum, conditionis implendae gratia, bonae fidei possessor fecerit, potest dici, quia voluntas defuncti [vel] in hoc servanda est, utique si probabilem modum<sup>78</sup> faciendi monumenti sumptus, vel quantum testator jusserit, non excedat, eum, qui auferunt hereditas, impensas [ratione] doli exceptione aut retenturum, aut actione negotiorum gestorum repetiturum, veluti hereditario negotio gesto. Quamvis enim stricto jure nulla teneantur actione heredes ad monumentum faciendum, tamen principali vel pontificali autoritate compelluntur ad obsequium supremae voluntatis.

51. Idem, lib. 2 Responsorum.

Heres furiosus, substituto, vel sequentis gradus cognato fructus melii temporis, quibus per curatorem furiosus locupletior factus videtur, praestabit: exceptis videlicet impensis, quae circa eandem substantiam tam necessariae, quam utiliter factae sunt. Sed et si quid circa furiosum necessariae fuerit expensum, et hoc excipiat: nisi alia sufficiens substantia est furiosus, ex qua sustentari potest<sup>79</sup>.— § 1. Fructuum post hereditatem petitam perceptorum usura non<sup>80</sup> praestantur<sup>81</sup>. Diversa ratio est eorum, qui ante actionem hereditatis illatam percepti hereditatem auxerunt.

52. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomarum.

Si possessor ex hereditate inhonestos<sup>82</sup> habuerit quaestus, eos etiam restituere cogetur<sup>83</sup>: ne honesta interpretatio non honesto quaestui lucrum possessori faciat.

53. PAULUS, lib. 10, ad Sabinum.

Non solum ad aes alienum hereditarium exsolvendum necessaria alienatio possessori est, sed et si impensa necessaria in rem hereditarium facta sunt a possessore, vel si mora peritura<sup>84</sup> deterioresve futurae erant.

54. JULIANUS, lib. 6 Digestorum.

Ei<sup>85</sup>, qui partes hereditarias, vel totam a fisco mercatus fuerit, non est iniquum dari actionem, per quam universa bona persequatur: quemadmodum ei, cui ex Trebelliano senatusconsulto hereditas restituta est, petitio hereditatis datur<sup>86</sup>.— § 1. Heres debitoris id, quod defunctus pignori dederat, quia hereditatem petendo consequi possit, dubium non est.— § 2. Cum praedia urbana et rustica, negligentia possessorum, pejora sint facta, veluti quia vineae, pomaria, horti extra consuetudinem<sup>87</sup> patrifamilias defuncti culta sunt, litis aestimationem earum rerum, quanto pejores sint factae, possessores pati debent.

55. Idem, lib. 60 Digestorum.

Evicta hereditate<sup>88</sup>, bonae fidei possessor, quod lege Aquilia exegisset, non simpliciter, sed duplum restituit: lucrum enim ex eo, quod propter hereditatem accepit, facere non debet<sup>89</sup>.

74. L. pen. supr. de dolo malo.—75. L. 17, § 2, infr. de usur.; L. 105, infr. de legat. 1.—76. L. 14, C. de inoffic. testam.—77. L. 3, § 1, infr. de honor. posses.; L. 109, L. 175, § 1, L. 208, infr. de verb. sign.—78. L. 51, in fin. supr. de negot. gest.; L. 4, C. h. t.—79. L. ult. in fin. C. de ordine cognation.—80. L. 15, infr. de usur.—81. Vide tamen L. 1, in fin. C. h. t.—82. L. 27, in fin. supr. cod.—83. Vide tamen L. 5, infr. de usur. junct. L. ult. in fin. C. h. t.—84. L. 5, in pr. supr. cod.; L. 22, in fin. C. de admun. tut.—85. Adde L. 23, § 9, supr. h. t.—86. L. 1, infr. de fideicom. hered. petit.—87. Adde L. 10, in fin.; L. 11, in pr.—88. L. 25, infr. de rei vind.

56. AFRICANUS, lib. 4 Quaestionum.

Cum hereditas petita sit, eos fructus, quos possessor percepit, omnimodo restituendos, etsi petitor eos<sup>90</sup> percepturus non fuerat.

57. NERATIUS, lib. 7 Membranarum.

Cum idem eandem hereditatem adversus duos defendit, et secundum alterum ex his iudicatum est, quaeri solet, utrum perinde ei hereditatem restitui oporteat, atque oporteret, si adversus alium defensus non esset: ut scilicet, si mox et secundum alium fuerit iudicatum, absolvatur is, cum quo actum est, quia neque possideat, neque dolo malo fecerit, quo minus possideret, quod iudicio victus restituerit: an, quia possit et secundum alium iudicari, non aliter restituere debeat, quam si cautum ei fuerit, quod adversus alium eandem hereditatem defendit? Sed melius est officio iudicis, cautione vel satisfactione<sup>91</sup> victo mediri: cum et res salva sit ei, qui in executione tardior venit adversus priorem victorem.

58. SCEVOLA, lib. 3 Digestorum.

Filius a patre emancipatus<sup>92</sup>, secundum conditionem testamenti, matris adit hereditatem, quam pater, antequam filium emanciparet, possedit, fructusque ex ea possedit, sed erogationem in honorem<sup>93</sup> filii, cum esset senator, fecit [ex ea]: Quaesitum est, cum paratus sit pater restituere hereditatem, habita ratione eorum, quae in eum erogavit, an filius nihilominus perseverans petere hereditatem, doli mali exceptione summovi possit? Respondi, et si non exciperetur, satis per officium<sup>94</sup> iudicis consuli.

## TIT. IV.

### SI PARS HEREDITATIS PETATUR.

ULPIANUS, lib. 5, ad Edictum.

Post actionem, quam proposuit praetor ei, qui ad se solum hereditatem pertinere contendit, consequens fuit et ei proponere, qui partem hereditatis petiit.— § 1. Qui hereditatem, vel partem hereditatis petiit, is non ex eo metitur, quod possessor occupavit, sed ex suo<sup>1</sup> jure: ideo, sive ex asse heres sit, totam hereditatem vindicabit, licet tu unam rem possideas, sive ex parte, partem, licet tu totam hereditatem possideas.— § 2. Quinimo, si duo possideant hereditatem, et duo sint, qui ad se partes pertinere dicant, non singuli a singulis petere contenti esse debent, puta primus a primo, [vel] secundus a secundo, sed<sup>2</sup> ambo a primo, et ambo a secundo: neque enim alter primi, alter secundi partem possidet, sed ambo utriusque pro herede. Et si possessor et petitor possideant hereditatem, cum unusquisque eorum partem dimidiam hereditatis sibi adserat, invicem<sup>3</sup> petere debebunt, ut partes rerum consequantur: aut, si controversiam sibi non faciunt hereditatis, familiae heriscundae experiri eos oportebit.— § 3. Si ego ex parte me dicam heredem, coheres autem meus possideat hereditatem cum extraneo, cum non plus coheres haberet sua parte; utrum a solo extraneo, an vero et a coherede debere petere hereditatem, quaeritur? Et Pegasus fertur existimasse, a solo extraneo me petere debere: eumque restitutum, quidquid possidet: et fortassis hoc officio iudicis debeat fieri: caeterum ratio facit, ut a duobus petam hereditatem, hoc est, et a coherede meo; et ille quoque dirigat actionem adversus externum possessorem. Sed Pegasi sententia utilior<sup>4</sup> est.— § 4. Item si, cum me ex parte dimidia heredem dicerem, trientem hereditatis possiderem, deinde residuum sextantem velim persequi, qualiter agam, videamus? Et Labeo scribit, utique partem dimidiam me petere debere a singulis: sic fieri, ut a singulis sextantem consequar: et habeo bessem: quod verum puto: sed ipse tenebor ad restitutionem sextantis ex triente, quem possidebam: et ideo officio iudicis invicem compensatio erit admittenda ejus, quod possideo, si forte coheredes sint, a quibus hereditatem peto.— § 5. Interdum praetor incertae partis<sup>5</sup> hereditatis petitionem indulget, idoneis causis intervenientibus, ut puta, est defuncti fratris filius, sunt et uxores defunctorum fratrum praegnantes, quam partem fratris filius hereditatis vindicat, incertum est: quia, quot edantur fratrum defuncti filii, incertum est: aequissimum igitur est, incertae partis vindicationem ei concedi. Non audent itaque dicitur, ubi cumque merito quis incertus est, quam partem vindicet, debere [ei] incertae<sup>6</sup> partis vindicationem concedi.

supr. de negot. gest.—88. Adde L. 17, § 1, vers. sed et fructus infr. de rei vind.—89. L. 23, L. 40, § 4, supr. h. t.—90. L. 27, in fin.; L. 52, supr. cod.—91. L. 57, in fin. infr. de rei vind.; L. 5, in fin. infr. de tribus act.—92. L. 25, C. de inoffic. testam.—93. L. 45, in pr. supr. de negot. gest.—94. L. 33, supr. h. t.

1. Tit. IV.—2. L. 10, § 1, supr. de hered. petit.—3. L. 49, infr. de usur.—4. L. 15, infr. de except. rei judicat.—5. Arg. L. 15, in fin. infr. de condic. indeb.—6. L. 5, infr. h. t.—6. L. 76, § 1, infr. de rei vind. vide tamen L. 5, in fin. infr. h. t.

2. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Si ex pluribus, ad quos eadem hereditas pertinet, quidam adierint, quidam adhuc deliberent, eos, qui adierint, si petant hereditatem, non majorem partem petere debere, quam habituri essent cæteris aduentibus: non eis proderit, si cæteri non adierint: non autem cæteris nec cæteris, poterunt tunc partes eorum petere, si modo ad eos pertinerent.

3. PAVLVS, lib. 17, ad Plautium.

Antiqui libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia ei jura integra reservarent: sicut apparet in jure hereditatum: in quibus, qui post eum gradum sunt agnationis, quo est id, quod in utero est, non admittuntur, dum incertum est, an nasci possit: ubi autem eodem gradu sunt cæteri, quo et venter, tunc quæ portio in suspensio esse debeat, quaesierunt: ideo, quia non poterant scire, quot nasci possunt: ideo, [nam] multa de hujusmodi re tam varia, et incredibilia creduntur, ut fabulis adnumerentur. Nam traditum est, [et] quatuor pariter puellas a matrefamilias natas esse: alioquin tradiderunt non leves auctores, quinque quaternos enixam Peloponnesi, multas Ægypti uno utero septenos. Sed et tergeminos senatores cinctos vidimus Horatios. Sed et Lælius scribit, se vidisse in Palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta est, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa [inquit] dicebatur: quintum, post diem quadragesimum. Quid [est] ergo? Prudentissime juris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut quod fieri non rarum admodum potest, intuerentur: id est, quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignaverint: τὸ γὰρ ἀπαξ, ἢ δις, id est, quod enim semel, aut bis existit [ut ait Theophrastus] παρὰ κείνοισιν οὐ νομίζονται, id est, prætereunt leges. Ideoque et si unum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim heres erit.

4. ULPIANVS, lib. 18, ad Edictum.

Et, si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata adrescere: si plures, quam tres: decrescere de ea parte, ex qua heres factus est.

5. PAVLVS, lib. 17, ad Plautium.

Illud sciendum est, si mulier prægnans non sit, existimetur autem prægnans esse, interim filium heredem esse ex asse, quamquam ignoret se ex asse heredem esse. — § 1. Idem est in extraneo, si ex certa portione heres institutus sit: ex reliqua, posthumi. Quod si forte ita institutio facta est, quotcumque mihi nati erunt, et Lucius Titius pro virilius portionibus heredes mihi sunt: habebit hereditatem, numquid adire non possit, atque qui in testamento portionem suam nescit? Sed utilis est, posse eum adire, qui nescit portionem, si cætera, quæ oportet eum scire, non ignoret.

6. ULPIANVS, lib. 6 Opinionum.

Sorori, quam coheredem fratribus quatuor in bonis matris esse placuit, quinta portio, pro portionibus, quæ ad eos pertinuit, cedit: ita ut singuli in quarta, quam antehac habere credebantur, non amplius ei quintam conferant. — § 1. Sumptus, qui propter onera totius hereditatis justifunt, ei, qui patroni jure portionem eviderit, pro rata competunt.

7. JULIANVS, lib. 8 Digestorum.

Non possumus consequi per hereditatis petitionem id, quod familia heriscundæ judicio consequimur, ut a communione discedamus: cum ad officium judicis nihil amplius pertineat, quam ut partem hereditatis pro indiviso restitui mihi jubeat.

8. Idem, lib. 48 Digestorum.

Permittendum erit possessori hereditatis, partem quidem hereditatis defendere, parte vero cedere. Nec enim prohibet, aliquem totam hereditatem possidere, et partem scire dimidiam ad se pertinere, de altera parte controversiam non facere.

9. PAVLVS, lib. 5 Epitomarum Alfeni Digestorum.

Cum multi heredes instituti essent, ex his unus in Asia erat, ejus procurator venditionem fecit, et pecuniam pro parte ejus abstulerat: postea apparuerit, eum, qui in Asia erat, antea decessisse, instituto ex parte dimidia herede procuratore suo, et ex parte, alio: quaesitum

7. L. 25, in fin. supr. de inoffic. testam. — 8. L. 7, l. 26, supr. de statu hom.; L. 1, § 8, infr. unde cognati. — 9. d. L. 1, § 5; L. 2, in pr. infr. de suis et legit. — 10. L. 1, § ult. d. l. 1, l. 25, in fin. supr. de iudicis. — 11. L. 7, in pr. infr. de reb. dub.; L. 56, in fin. infr. de solution. — 12. d. L. 7, in pr. infr. de reb. dub.; L. 56, circa fin. infr. de solution. — 13. L. 3, 4, 5, 6, supr. de legib.; L. 64, infr. de reg. jur. — 14. L. 50, § 6, infr. de acquir. vel omitt. hered. — 15. § 10, infr. de suis et legit. — 15. L. 21, § ult. infr. de acquir. vel omitt. hered. — 16. Adde L. 15, infr. de religio. — 17. L. 1, in pr. infr. famil. ercisc. — 18. Immo

est, quemadmodum pecunia ex hereditate petenda esset? Responsum est, ab eo, qui procurator ejus fuisset, totam hereditatem, quia ex hereditate ea pecunia fuisset, quæ ad procuratorem ex venditione pervenisset, petere eos oportere: et nihilominus partem dimidiam hereditatis a coheredibus ejus ita fore, sive omnis ea pecunia penes eum, qui procurator fuisset, resideret, ut omnem per judicem ab eodem recuperarent: sive is partem dimidiam coheredi suo reddidisset, ipsum ex dimidia parte, [et] ex dimidia coheredes ejus condemnarent.

10. PAPIANVS, lib. 6 Questionum.

Cum heredis ex parte instituti filius, qui patrem suum ignorabat vivo testatore decessisse, partem hereditatis, nomine patris, [ut] absentis, administraverit, et pecunias, distractis rebus, acceperit, hereditas ab eo peti non potest: quia neque pro herede, neque pro possessore pretia possidet, sed ut filius patris negotium curavit: negotiorum autem gestorum actio cæteris coheredibus, ad quos portio defuncti pertinet, dabitur. Illud [enim] utique non est metuendum, ne etiam patris (a quo forte exheredatus est) teneatur hereditas, quasi negotia hereditaria gesserit: cum id, quod administravit, non fuerit paterna hereditas. Nam et si negotiorum gestorum actio sit ei, cujus nomine perceptum est, ei, cujus nomine, restitui æquum est. Sed in proposito neque patris negotia fuerunt, qui esse desiderat: neque paterna successio, quæ fuerunt alterius hereditatis. Quod si filius iste patri suo heres extitit, et movet controversiam, quod pater ejus, postquam heres extitit, mortem obiit, ille tractatus incurrit, an ipse sibi causam possessionis mutare videatur? Quoniam tamen qui negotia hereditaria gessit, et debitor esse cepit, postea faciens controversiam hereditatis, ut juris possessor, convenitur, idem etiam in hoc filio respondendum erit.

TIT. V.

DE POSSESSORIA HEREDITATIS PETITIONE.

1. ULPIANVS, lib. 18, ad Edictum.

Ordinarium fuit, post civiles actiones heredibus propositas, rationem habere prætorem etiam eorum, quos ipse velut heredes facit, hoc est, eorum, quibus bonorum possessio data est.

2. GAIVS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Per quam hereditatis petitionem tantundem consequitur bonorum possessor, quantum superioribus civilibus actionibus heres consequi potest.

TIT. VI.

DE FIDEICOMMISSARIA HEREDITATIS PETITIONE.

1. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Ex ordine occurrit actio, quæ proponitur his, quibus restituta est hereditas. Nam quisquis suscepit restitutam hereditatem ex senatusconsulto, ex quo actiones transeunt, fideicommissaria hereditatis petitione uti poterit.

2. PAVLVS, lib. 20, ad Edictum.

Quæ actio eadem recipit, quæ hereditatis petitio civilis.

3. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Nec interest, mihi quis rogatus fuerit restituere, an heres, cui extitisset. [Et] si bonorum possessor sim ejus, cui fideicommissaria hereditas relicta est, vel alius successor, per hanc actionem experiri potero. — § 1. Hanc actionem sciendum est adversus eum, qui restituit hereditatem, non competere. — § 2. Hæ autem actiones mihi dantur, quæ heredi, et in heredem competunt.

vide L. 15, § 12, supr. de hered. petit. — 19. L. 3, § 19, infr. de acquir. vel. amit. possess. — 20. L. 1, § 1, infr. de honor. posses. vers. quos autem. in pr. Inst. d. l. 1, l. 158, infr. de verb. sign.; L. 117, infr. de reg. jur. — 2. L. 2, infr. tit. prop. vers. aliquid, in pr. Inst. de perpet. et temporal. act. — 3. L. 54, in pr. supr. de hered. petit. — 2. L. ult. supr. lit. prox. — 3. L. 5 in pr. supr. de hered. petit. — 4. L. 27, § 7, infr. ad SC. Trebell. — 5. L. 1, § 2, infr. d. t.

LIBER SEXTUS.

TIT. I.

DE REI VINDICATIONE.

1. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Post actiones, quæ de universitate propositæ sunt, subjicitur actio singularium rerum petitionis. — § 1. Quæ specialis in rem actio locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quam his, quæ anima caret, et in his, quæ solo continentur. — § 2. Per hanc autem actionem libera persone, quæ sunt juris nostri, ut puta liberi, qui sunt in potestate, non petuntur: [petuntur] igitur, aut præjudiciis, aut interdictis, aut cognitione prætoris: et ita Pomponius lib. 57, Nisi forte, inquit, adjecta causa quis vindicat: si quis ita petit filium suum [vel] in potestate, ex jure romano, videtur mihi [et] Pomponius consentire, recte eum egisse: ait enim, adjecta causa ex lege Quiritium vindicare posse. — § 3. Per hanc autem actionem non solum singulæ res vindicantur, sed posse etiam gregem vindicari. Pomponius libro Lectionum 25 scribit: idem et de armento, et de equitio, cæterisque, quæ gregatim habentur, dicendum est: sed enim gregem sufficit ipsum nostrum esse, licet singula capita nostra non sint: grex enim, non singula corpora vindicantur.

2. PAVLVS, lib. 21, ad Edictum.

Sed si par numerus duorum interfuerit, neuter solidum gregem, sed ne partem dimidiam totius ejus vindicabit. Sed si majorem numerum alter habeat, ut detracto alieno, nihilominus gregem vindicaturus sit, in restitutionem non veniunt aliena capita.

3. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Marcellus lib. 4 Digestorum scribit: Qui gregem habebat capitum trecentorum, amissis centum, redemit totidem capita aliena ab eo, qui dominium eorum habebat, vel [aliena ab eo,] qui bona fide ea possidebat: et hæc utique gregis, inquit, vindicatione continebuntur. Sed et si ea sola supersint capita, quæ redempta sunt, adhuc eum posse gregem vindicare. — § 1. Armamenta navis singula erunt vindicanda: scapha quoque separatim vindicabitur. — § 2. Pomponius scribit, si quid, quod ejusdem nature est, ita confusum est atque commixtum, ut deduci, et separari non possit, non totum, sed pro parte esse vindicandum: ut puta meum et tuum argentum in massam redactum est, erit nobis commune, et unusquisque pro rata ponderis, quod in massa habemus, vindicabimus: etsi incertum sit, quantum quisque ponderis in massa habet.

4. PAVLVS, lib. 21, ad Edictum.

Quo quidem casu etiam communi dividendo agi poterit. Sed et furti, et ad exhibendum tenebitur, qui dolo malo confundendum id argentum curavit: ita ut in ad exhibendum actione pretii ratio haberi debeat: in vindicatione vel communi dividendo actione hoc amplius ferat, cujus argentum pretiosius fuerat.

5. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Idem Pomponius [scribit]: Si frumentum duorum, non voluntate eorum, confusum sit, competat singulis in rem actio in id, [in] quantum parat in illo acervo suum cujusque esse. Quod si voluntate eorum commixta sunt, tunc communicata videbuntur, et erit communi dividendo actio. — § 1. Idem scribit, si ex melle meo et vino tuo factum sit mulsum, quosdam existimasse, id quoque communicari: sed puto verius, ut et ipse significat, ejus potius esse, qui fecit: quoniam [suam] speciem pristinam non continet. Sed si plumbum cum argento mixtum sit, quia deduci potest, nec communicabitur, nec communi dividendo agetur, [quia separari potest]: agetur autem in rem [actio]. Sed si deduci, inquit, non possit, [ut] puta, si æs et aurum mixtum fuerit, pro parte esse vindicandum: nec quaquam erit dicendum, quod in mulso dictum est: quia utraque materia, etsi confusa, manet tamen. — § 2. Idem scribit, si equum meum equus tuus prægnantem fecerit, non esse tuum, sed meum, quod natum est. — § 3. De arbore, quæ in alienum agrum

TIT. I. — 1. Lib. 5, C. 55. — 2. § ult. Inst. per quas person. cuique acquir. — 3. § 15, Inst. de action. — 4. Infr. de liber. exhibend. — 5. L. 215, infr. de verb. sign. — 6. L. 56, infr. h. t. — 7. L. 25, § 5, vers. et in his. infr. eod. — 8. Arg. L. 49, in fin. infr. eod. — 9. L. 44, infr. de evict. — 10. L. 7, § 8; L. 27, in pr. infr. de acquir. rer. domin. — 11. § 27, 28, Inst. de rer. divis. — 12. § 25, Inst. d. t. — 13. L. 22, in fin. infr. de acquir. rer. domin. — 14. L. 52, § 20, infr. de furt. — 15. L. 84, § 10, in fin. infr. de legat. 1. L. 7, C. h. t. — 16. L. 7, § ult.; L. 26, § 2, infr. de acquir. rer. domin. — 17. Adde L. 50, supr. de iudicis; L. 4, in pr.

translata coaluit, et radices immisit, Varus et Nerva utilem in rem actionem dabant: nam si nondum coaluit, mea esse non desinet. — § 4. Cum in rem agatur, si de corpore conveniat, error autem sit in vocabulo, recte actum esse videtur. — § 5. Si plures sint ejusdem nominis servi, puta plures Eroles, nec appareat, de quo actum sit, Pomponius dicit nullam fieri condemnationem.

6. PAVLVS, lib. 6, ad Edictum.

Si in rem aliquis agat, debet designare rem: et utrum totam, an partem, et quotam petat: appellatio enim rei non genus, sed speciem significat. Octavenus ita definit, quod infectæ quidem materię pondus, signatæ vero numerum, factæ autem speciem dici oportet. Sed et mensura dicenda erit, cum res mensura continebitur. Et, si vestimenta nostra esse, vel dari oportere nobis petamus, utrum numerum eorum dicere debeamus, an et colorem? Et magis est ut utrumque: nam illud inhumanum est, cogi nos dicere, trita sint an nova. Quamvis et in vasis incurrat difficultas, utrum lancem dumtaxat dici oporteat, an etiam quadrata, vel rotunda, vel pura, an celata sint: quæ ipsa in petitionibus quoque adicere difficile est: nec ita coarctanda res est: licet in petendo homine nomen ejus dici debeat, et utrum puer, an adolescens sit: utique si plures sint: sed, si nomen ejus ignorem, demonstratione ut ejus utendum erit, veluti, qui ex illa hereditate est, qui ex illa natus est. Item fundum petiturus, nomen ejus, et quo loci sit, dicere debet.

7. Idem, lib. 11, ad Edictum.

Si is, qui obtulit se fundi vindicationi, damnatus est, nihilominus a possessore recte petitur, sicut Pedius ait.

8. Idem, lib. 12, ad Edictum.

Pomponius lib. 56 probat: si ex æquis partibus fundum mihi tecum communem, tu et Lucius Titius possideatis, non ab utrisque quadrantes petere me debere, sed a Titio, qui non sit dominus, totum semisse. Aliter atque si certis regionibus possideatis eum fundum: nam tunc sine dubio et a te et a Titio partes fundi petere me debere: quotiens enim certa loca possidebuntur, necessario in his aliquam partem meam esse: et ideo te quoque a Titio quadrantem petere debere. Quæ distinctio neque in re mobilis, neque in hereditatis petitione locum habet: nunquam enim pro diviso possideri potest.

9. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Officium autem judicis in hac actione [in] hoc erit, ut judex inspicat, an reus possideat: nec ad rem pertinebit, ex qua causa possideat: ubi enim probavi rem meam esse, necesse habebit possessor restituere, qui non objectit aliquam exceptionem. Quidam tamen, ut Pegasus, eam solam possessionem putaverunt hanc actionem complecti, quæ locum habet in interdicto uti possidetis, vel utrobi: denique [ait], ab eo, apud quem deposita est, vel commodata, vel qui conduxerit, aut qui legatorum servandorum causa, vel dotis, ventrisque nomine in possessione esset, vel cui damni infecti nomine non cavebatur, quia hi omnes non possident, vindicari non posse. Puto autem, ab omnibus, qui tenent, et habent restituendi facultatem, peti posse.

10. PAVLVS, lib. 21, ad Edictum.

Si res mobilis petita sit, ubi restitui debeat, [scilicet] si præsens non sit? Et non malum est, (si) bonæ fidei possessor sit is, cum quo agitur, aut ibi restitui, ubi res sit, aut ubi agitur: sed sumptibus petitoris, qui extra cibaria in iter vel navigationem faciendi sunt.

11. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Nisi [si] malit petitor suis impensis et periculo ibi, ubi judicatur, rem restitui: tunc enim de restitutione eum satisfactione cavebitur.

12. PAVLVS, lib. 21, ad Edictum.

Si vero male fidei sit possessor, qui in alio loco eam rem nactus sit, idem statui debet. Si vero ab eo loco, ubi lis contestata est, eam subtractam alio transtulerit, illic restituere debet, unde subtraxit, sumptibus suis.

13. ULPIANVS, lib. 16, ad Edictum.

Non solum autem [rem] restitui, verum et si deterior res sit facta, rationem judex habere debet. Finge enim debilitatum hominem, [vel verberatum], vel vulneratum restitui: utique ratio per judicem habebitur, quanto deterior sit [factus]: quamquam et legis Aquiliæ actione

infr. de legat. 1. L. 24, in pr. infr. de acquir. vel. amit. possess.; L. 4, C. de testam. — 18. L. 1, § 40 et 41, infr. de furt. — 19. L. 22, § 25, infr. d. t. — 20. L. 6, infr. de reb. ered.; L. 56, in pr. infr. de condit. et demonstr. — 21. Vide tamen L. 51, in fin. infr. de re iudicat.; L. 50, in pr. infr. de oblig. et act. — 22. L. 39, in pr. infr. communi divid. — 23. L. 5, § 8, infr. uti possidet. — 24. L. 15, § 4, infr. de divers. temporal. prescr. L. 26, in fin. infr. ad municip. — 25. L. 2, C. ubi in rem actio. — 26. § 2, Inst. de offic. judic. — 27. L. 12, § 1, infr. depositi. — 28. Adde L. 56, § 1, infr. h. t.